


*Bibliothèque numérique*

medic@

Dubois, Jean-Baptiste - candidat /  
Vernage, Michel-Louis - président. -  
*An malignae Febri saphenae sectio,  
Emeticum ?*

1726.

*Paris : Typis Philippi-Nicolai  
Lottin, Facultatis Medicinae  
Typographi*  
Cote : ms 2326 n°45



254  
43

**DEO OPTIMO , MAX.  
UNI ET TRINO ,  
VIRGINI DEIPARÆ , ET S. LUCAE ,  
Orthodoxorum Medicorum Patrono.**

**QUÆSTIO MEDICA .**  
*QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS,  
mane discutienda , in Scholis Medicorum , die Jovis ,  
decimâ Januarii , 1726.*

**M. MICHAEL- LUDOVICO VERNAGE ,  
Doctore Medico , Præside .**

*An malignæ Febri saphena sectio , Emeticum ?*

**I.**

**F**EBRIS frequentissimus morbus , inflammationis comes individus , omnium ferè acutorum morborum *essentia* , chronicorum symptoma , illorum effectrix , horum effectus . Illi sanescunt , dummodò causa Febris vasis fugerit , hi non eraduntur , nisi causa morbi , viscerum receſſibus impacta , eradicetur . Frustrà Febrem horum affectuum comitem specifico debellare conaberis : ni morbi *essentia* idonea aptes , & amico jungas ſedere , medendo a�reſcit . Febris non unus & simplex , fed multiple & varius , pro typo , more , a�ri aetate , *idiosyncrasia* , tempeſtate , epidemiam constitutione , & symptomatum , quibus ſtipatur , ſerie & indole , morbus . Quoad typum , in varias abit species , incendii continuo , aut interrupto tenore , accessionum ritu diſſimili , publico denique , aut privato viscerum damno . Indè nota in continuam & interpolatam Febris diſtinctio . Continua nonnunquam quo exarsit die extin-

A

0 1 2 3 4 5 (cm)

2

guitur, nonnunquam in plures porrigitur. **Ephemera cognitu difficilis, curatu**  
per facilis, levis in vietu erroris, suppresse, aut imminutæ, consuetæ cestionis sobo-  
les, utilis ut plurimum morbus evadit. Naturæ enim molimen est, quo sanguis  
quas circumvehit fortes, circuitui moras, secretionibus obices nexuras, & omne  
virtum excoquit, sponteque in corporis oras abigit. Ideo sæpè, una luce tran-  
facta, si sudor erumpat, compescitur, non redditura. Quæ in plures excurrunt dies,  
si exacerbationes certis revivificant periodis, continua audit periodica; si incertæ,  
vaga & erratica, cui si frequens & inordinatus rigor intercidat, interni sæpè  
abiceſſus pathognomonicum est signum. Pro more, benigna est, vel maligna Fe-  
bris. Illa sæpè cum impetu minax proludit, & ad serenitatem citè vertitur, ni  
æ gri incuria, aut exlege medentis methodo invalescat & exasperetur. Hæc men-  
dax & infidiosa, falsa benignitate ægrum decipit, securos fallit assidentes, Me-  
dicumque incarum & futuri ignarum ludit. Quæ manifestas laboranti naturæ  
præber inducias, statim accessionum & decessionum vicibus excandescit, à conti-  
nuâ non typo tantum, sed materie & foco discriminatur. Qui enim corrupti  
humores aliud è primis viis appulsi in sanguiferis vasis fervent, continuas;  
qui in bilis secretoriis, lymphaticis, remotisque à corde alveolis putrent, ob re-  
currentem novam statim temporibus fermentationem, intermittentes gignunt. Con-  
tinuis magis obnoxii floridâ ærate virentes, & quorum feroci bile turget sanguis:  
intermittentibus, & imprimis quartanis, annis graves, temperamentoque segno-  
res. Vere tumet sanguis, & se suo æstu despumat. Indè Februm cohors, & varia  
*exanthemata*, quorum hæc tempestate facilior eruptio, felicior exitus. Sirio ar-  
dente, causus urit, maligna defœvit. Autumno, morborum ferace, diuturnæ &  
pervicaces quartanæ vigent, quæ in hyemem productæ, sæpè in hydrope degene-  
rant. Has qui solis febris fugis penitus excidere sibi confidit, cæcutit, & ægrum  
vanâ spe lactat. Hæc aperientibus sociata mutuam sibi ferunt opem. Acri Hy-  
eme, inflammatoriaæ Febres, ut plevritis, peripneumonia, angina, quas parit inter-  
clusus insensibilis halitus, graffantur. Quæ epidemica, nempe ab aëris intempe-  
rie, & ciborum vitio, damnosior: qua huic aut illi singularis, mitior. Febris de-  
niq[ue] variat, pro affectis *essentiâ*, affecta partis præstantiâ, & insolenti sympto-  
matum ferocitate.

## II.

**Q**UO Febris causam nescit, hunc sanguinis natura latet. Abditam qui  
putat, nodum in scirpo querit. Sanguis ex dissimilibus, quas promiscue  
volvit, partibus, mole, figurâ, usu, & intestino conflictu dissidentibus,  
mutuâ contemporatione consentientibus, coalescit. Partium diverso-  
ria perlabilo, unicuique demensum largitur, proprio Marte cu-  
dendum, & juges instauraturum expensas, excrementum, vel frenum intestino  
mortui injecturum, vel additurum stimulos, seponendum defert incerniculis.  
Quot excernendis scatet, tot corpus colis, vel intrò apertis, vel extùs hiantibus,  
præmunitur. Ea est affabre textorum incerniculorum diversitas, ut ex iis utiles,  
functionibusque obeundis idonei liquores in vasa resorbeantur: rudes, necdum elab-  
orati, includi reddantur, novas eundo vires acquisituri; luxuriantes undique exha-  
lient; dissociabiles protrudantur. An varia pororum glandularum configuratio, li-  
quoris moli, figuræ congrua, diametrorum diversitas, peculiaria fermenta singulis  
afficta glandulis, mirum secretionis opus conficiant: an humor à natalibus secreto-  
riis inditus, succo segregando congenit, qui sibi affinem imbibat humorem, aver-  
sum amoveat, sub Judice lis est; ultima tamen, utpote ingeniosius efficta & veri-  
similior, magis arridet. Omnia jure functionum norma est *circulatio, circulatio-*  
*nis meta secretio*, fecernendorum opifex fermentatio; citè enim sanguis, quo-  
quoversum meabilis, obices sibi objiceret, & tandem stagnaret lutulentus, ni  
jugis principiorum, quibus viget, mobilitas, lenisque lucta inertes & otiosas partes  
incitaret, harum præpediret cohesionem, puras ab inquinamentis fecerneret,  
superfluas insensibili evaporatione detererer. Fermentatio & circuitus, dispari li-  
cet motus, amicè federantur, cum ipsis inter certus est commensus, æquumque

3

libramen; tunc sanguis inoffenso cursu circuit, & functiones corporis intrà modum stant, quem ultrà citráque nequit confistere recta valetudo. Si verò heterogeneorum humorum adventu, quorum sèpè immensam congerit molem stomachus, delirante appetitu plexus, illos inter motus, discordi concordia junctos, gratia diffiliat, varii, pro diverso fermentationis errato, morbi ingruunt. Languente inspissantur succi, recto tramite non aguntur, lympha imprimis tenax reddita & diditu difficilis, in suorum inflexu vaorum pigro lapsu repens, obliquas sibi inneditas moras, variosque infarcitus, chronicorum morborum, qui remediorum vim exercent, parentes ingenerat. Vividiore, sanguis exæstuans ita rapido & abnormi motu abripitur, ut glandularum ostia præterlabendo transfiliat, & varia, quibus turget, purgamenta lecum revolvat confusaneus, donec vim viribus exciens natura, vel proprio molimine, vel arte solerti, ad hujus magisterium & exemplar composita, per varios helices vacuacioni convenientes exigat. Cùm intrà vaorum cancellios fluctuante morbi causâ, sanguis tumultuatur, in ipsorum parietes tantum arietat, & singulis partibus æquè infensus huic illive labem non inurit, Febris continua simplex accendit, cuius à nativo calor non gradu tantum & materiâ, sed & naturâ discrepat. Si vero propriis clausulis coerceri impatiens, cùm in sanguiferorum vaorum Mæandris primitus fisti nequeat, quod major collectivè sumptis propaginibus, quam truncis, insit diameter, lymphaticorum ostia soli lymphæ pervia pulsat, globulos intrudit, retorto motu irremovable, quorum irruptio pacatum illius liquoris fluentum irritat, liberum præpedit cursum, inflammatoriam Febrem accersit, pro partis texu, præstantia, inflammationis gradu, magis ministrâ periculi plenam. Inter inflammatorias, quæ primam in cerebro sedem figit, & omnibus minatur partibus, maligna nuncupatur.

### I I I.

**M**A L I G N A Febris, non quod in ægri præcordiis veneni quid defariat, vel malignam ægro assidentibus afflere auram, sed quod, velut ignis doloso cineri suppositus, tacite serpat, & se cæco intus æstu, miti extù calore malignè dissimulet; ideâ & ingenio, ob symptomatum anomaliam, à ceteris Februm speciebus diffidet, nec ab ipsissimâ peste, nisi ob remissiore gradum, discriminatur. Varias se verrit in facies, variis illusura modis. Deterioribus, quam pro febrili fervore, stipata symptomatis, modò sub pleuritidis larvâ inchoat: æger dolore punctione laborat, tussi ferina laceffit, sanguinem excreat; modò abdominis inflammationem colico dolore mentitur, quæ in eo à systrophicâ discrepat, quod non intentum, sed tumidum & prominens, vix pressu doleat, & renitatur; urinæ a sanis non abundant, nisi vix ullum citò futuræ coctionis, aut sperandæ criseos indicium præse ferant. Sæpè tertianæ intermittentis, sæpius continua, utriusque non raro particeps, alternis diebus vehementiori exacerbatione, cuius prodromus est rigor recrudescens, hemitritæ formam induit. At virium repentina prostratio, capitis gravitas, fugax sæpè delirium, oculatos, & in arte recoctos, non essentiales esse morbos, sed Febris malignæ symptomata evincunt. Sunt quos specie tenus valentes, verum intemperanzæ vitiis onustos, repente incertos obruit formidolosa: luxuriosè enim pasti suspecta debent habere bona sua, quæ quia in eodem habitu subsistere, nec ultrà progredi possunt, ferè retrò quasi ruinâ quâdam revolvuntur. Plurimos manifesta functionum lesione comminutos adorit. Multis ante invasionem diebus membra ingravescunt; acrior est naturali calor; altior premit somnus, qui lassitudinem non levat, sed laborem facit; tumultuosis jactantur somniis; nocturnus sudor vel ipsos nimio uti alimento, vel purgatione indigere comprobatur; marcat animus; torpet corpus, spontaneis lassitudinibus, lumbagine imprimis, quassatur; lancinante, gravativo capitis dolore conflictantur. Turbato sensim functionum rhythmo, Febris cum rigore, sæpè vix sensili horrore invadit, quem mox non urens, sed adeò levis calor excipit, ut vix se febricitare sentiat æger. Pulsus naturali similis, sed exilior & crebrior; urina colore, copiâ, instar sanorum, sed crudior; subita & absque ratione virium depresso;

A ij

mentis stupor , sensuum hebetudo , ingens denique corporis pondus Febris malignitatem exhibent . Quò minor , in primo insultu , rigor , eò contumacior , & periculosior Febris . Si in primordio sudore diffluat æger , cùm non tamen maturi , subacte sit succi vacuatio , quām crudi , luxuriantis , & seri , sanguinis vehiculi , expressio , morbi diurnitatis , periculi index est . Si diarrhoea laborat , cùm boni moris , cocti nempè & bilioſi humoris deturbatio , minùs pervicacem , felicius exturam portendit ; hanc permettere , fovere , augere , si subsistat , promovere , notum in arte neophytis , comprimere , soli licitum se Medicum tantum professo : cùm mali moris , crudi scilicet , & crux intertexti lineamentis humoris profluviū , non coercere stypticis , sed avulsā , diversè indolis mochlicis , quæ juscula , variaſque potionēs inquinat , materiā , compescere artis apex est .

## I V.

**C**ULTA , nascente morbo , Febris , progresso , vires sumit & exerit , varioque conspicuam se reddit , in ægrī perniciem , symptomatum satellitio , ni à provido & multū celeri artifice , in ipsissimē morbi incunabulis , cautum sit . Exiguus , & submissus in primo impetu pulsus , intensior , citatior evadit , quòd spumosior & in vasorum parietes irribilior insurgat sanguis , reperitis vasorum ictibus refractus fortius urgeatur , rapidius volvatur . Carotidum vibrationes brachii arteriarum pulsibus vividiores , quòd insufflentis in cerebrum sanguinis commixtui obices & repagula occurrant . Urinæ prius copioſe & limpidæ , plerumque rariores , rubræ , sèpè instar jumentorum turbidæ effluunt , quòd impeditior excernendorum , bilis præsertim , cuius in hoc morbo coercitæ & vitiatae magna vis & potentia , secretio , protrusio , major proindè humorum confusio . Corpus mordax calor deurit , quòd compressa insensibilis , quæ cutem irrigat , evaporatio , vel inordinatus digerit sudor , quòd strictrior prius sanguinis compages dirimatur , & principia dissiliant . Musculorum tendones , brachiorum in primis , obrigescunt , subsultibus concutiuntur : manibus tremor incidit , vox tremula convulsionis , ferox , delirii auspiciū , quòd impetuosit , inordinatiō in nervorum sistema spirituum influxus . Sitis aut nulla , cum intensa Febre , quòd sèpè mens laboret , aut inexhausta , & febrilis calor modum exuperans , quòd paucior & acrioris salivæ proventus ; lingua aspera , exusta , cum pulsus mollitie , siccitate finditur , interni signum & effectus incendii . Mens unā cum corpore prægravatur , è suā sede dejecta oberrat ; ad se non redit ager , nisi admonitus , mox incondita , nil cohærentia locuturus . Caput gravi sopore detinetur , in quem excussus citè relabitur : susurrans sonitus aures ferit , sèpè surditas occupat : facies à naturali multū aliena , livore inficitur , quasi corrugatur , vix in Febris augmento rubore suffunditur : oculi modò flammæ scintillant , modò erratici languent ; injussa nonnunquam profluent lacrymæ , quòd spiritus vel involuti , & torpidi in suis conceptaculis commorantur , sensui motuque impares , vel succendiculis concitati , effrænati in nervos anomalo motu irruunt . Sunt quorum in remissione corpus universo tentat frigore , segni torpet veterno , lecto affixum hæret immobile , in exacerbatione anxiōs , delirio quasi æstro percitos , spasmodicis jačatos motibus , æstuosa torret Febris impotentia . Nonnullorum , externis algentibus , interiora uruntur , quòd sanguinis major in internis vasis , quām in externis , æstus fervorem fervorisque sensum intus adaugeat ; quantò enim vividiūs bullit , tantò acrius , salinarum collisi molecularum , internæ partes ignescunt . Secta venâ , sanguis primò stillat , mox exilit spissus , inflammatorius ; hanc ægrè fert primis vicibus evacuationem æger , in lipothymiam sèpè concidit , non quòd exhaustæ vires deficiant , sed quòd sub luxuriantis , & humorum æstu turgentis sanguinis mole gemant : impurum enim , & plethoricum corpus eumdem ac effiectum mentitur debilitatis sensum . Ideo repetitæ epaphores , quasi ex præcipiti levatae resarciantur . Quantum enim Febrilis materia cum sanguine demitur , tantum viribus additur . Parvum è naribus crux stillicidium altius in internis cerebri vasis impedit , vix præ len-

5

tore currentis, illabente jugiter tenaciore firmati, & in externa redundantis sanguinis est indicium. Huic succedaneum cum nervorum distensione delirium ultima vita linea. Tumores nonnunquam circa alas & inguina, post aures in primis erumpunt. Difficile maturescentes, retrocedentes, ineluctabilis fati omnia; prominentes, in suppuratum abeuntes, cerebri infarctus vindices. Nonnunquam cutis in pustulas attollitur, vel maculis deturpatur; pustulæ vel quasi asperitates ut vesiculae seminis milii speciem præ se ferentes, vel sudorum papulae *id ḡo a vocatae*, quæ cuti sublimes non suppurant, sed exsiccantur, excutiuntur; vel varis similes, si in acutum fastigiatæ, rubro circumcinctæ circulo, tempestivè maturescentes, disinctæ, nullis inimicis *c̄thymatibus* aut petechiis interspersæ, cum fausta sint sanguinem desecantis, & morbi fermentum in corporis peripheriam extrudentis victricis naturæ molimina, in salutem decretoriz; si sessiles, confertim erumpentes, citius maturescentes, erysipelate, herpete miliari, & variis maculis intertextæ; cum iritti sint morbo succumbentis naturæ conatus, exitiofæ. Quæ non eminent, sed cutem tantum inficiunt maculæ, vibicum instar, vel puliculum morsuris similes, cum ultrâ modum rarefacti, soluti, propriis limitibus contineri impotens, & in lymphatica cutis vasa irrumpentis sanguinis sine effectus, cohibit transpirationis causa, infensissimæ, pro vario colore, nequiores. Sunt quos hujus Febris effera vis citò rapit, non ultrâ septimum diem excurrit morbus, plerumque vix antè vigesimum judicatur, sèpè ulteriùs prorogatur. Cum enim clam & obscurè irrepat, nec repente ullâ crisi solvi potest: par enim ortus & exitus ratio. Nonnullos, longâ dierum serie intentis præcordiis, capite quasi lymphato, omnibus sensibus funeralis, pulsu attrito, tendonum subsultibus obscurato, vix in exacerbationibus, quæ crebro recurrent, micante, spasmiss, indeſinenti delirio laceſſitos; hæmorrhagiâ, universo sudore, tutiū biliosâ diarrhœâ, quasi ex ipsissimis funeralibus, si principiū præſertim legitimâ obſtitutum methodo, emerſisse usus prodidit. Si in cerebri meningibus primam fixit sedem inflammatio, cum densa, contracta, sensus & elaterii compos sit ipsarum compages, vividior est Febris, acrior calor, strictior pulsus, capitis dolor lancinans, rigidiores tendones, crebriores subsultus, & tumultuosior insania ingruunt: celeſter coacti sanguinis, & in lymphatica incuneati vasa refolutio, vasorum expeditio, corruptio, meningum sphacelismus, citior proinde morbi exitus. Si cerebrum occupat, cum mollis, laxa, virtutis resiliens expers, & insensibilis, licet sensus fons & organum, hujus visceris substantia, mollior pulsus, mitior calor, gravans capitum dolor, fugax delirium, rariores spasmmodici motus, coma denique vigil stipantur; infarctus sanguis non adeò flammatum inurit, impedita seriū explicantur vasa, inflammatio aut in suppuratum vertitur, vel cerebrum exundant sensim sero submergitur; productior ergo morbi eventus. Apertis malignâ Febre extintorum cadaveribus, cerebro tenaciū inhærens pia meninx, vasa, quibus contexitur, vel oculorum aciem fugientia, varicum instar, sanguine distenta, rimosa, cerebri pars pure exesa, anfractus ventriculi sero turgidi, illeſis sèpè cæteris visceribus, deteguntur.

V.

X hâc compendiosâ symptomatum, quæ malignæ Febri affident, & diverso gradu, variis morbi temporibus grassantur, syndrome, hujus causas depromere, peculiarem assignare focum non arduum est: his perpenſis idonea colligere, & aptare remedia non operosæ plenum opus aleæ. Sanguis nempè vel male elaboratorum succorum, quorum vitiosum sèpè crudit apparatus, primæ coctionis error, cæterarum functionum lexionis opifex, vel retenti pravâ alicuius incerniculi diathesi tacitè crescentis humoris congestionē gravatus inspissatur & lentescit; crassioribus nec subactis imprægnatae partibus sanguineæ molis fibrae actioribus coēunt nexibus, coactæ, & in minimos vasorum cerebri tubulos, cuius oram densissimis ubique rivulis perlit sanguis, ægrè protrusæ moras neclunt tardigradæ, & eò facilis intricantur, quod minor sit ex parte vasorum, quorum imbellis elater, resistentia; celeri & ex-

pedito prohibitus commeatu sanguis vasa adeo tumefacit, ut hujus visceris quibus  
 intertexuntur, glandulas coarctent, medullares anfractus plus æquò comprimant,  
 & exilissimos nervorum canaliculos constringant. Densior sanguis & minus ve-  
 getus vix subtilem pro spirituum materiam laticem instillat. Spiritus, quorum va-  
 ria, pro sanguinis crassi, indoles, liquorum motus & partium vibrationis auctores,  
 nec jugiter secernuntur, nec in partes assidua motione radiant; unde pigra &  
 imperfecta excernendorum elaboratio, secretio: colorum otio, excrementorum  
 mole pressus sanguis, magis ac magis solder & concrescit; æquabilis & ordinatus  
 liquorum, qui sanguinis inspissationem summam commutationum crebritate pre-  
 cavebat, confluxus, partium consensus turbantur; reciprocí motus languent,  
 sensoria stupent, inde derivata virium jactura, & pulsus debilitas, quæ quantum  
 in hoc morbo impedita sit natura, & artis indiga, indicant. Jugi crudorum accessu,  
 & heterogeneorum in vasis profluentium humorum tumultu sanguis effervescit,  
 & cum eo gradu tardentur secretiones, quo incitatur fermentatio, excernendis  
 foetus tumultuatur, bulliens cor & arterias vividius ferit, vasa pressis reluctantur  
 istibus; in cerebrum jaculatus jam tumefacta distendit vasa, in sanguiferis in-  
 tricatum magis implicat, globulos in lymphatica protrudit, intrusos altius incu-  
 neat; distenta vasa nerveas comprimunt & concutunt fibras: non rectus fit,  
 sed divaricatus; non jugis, sed interruptus; non undulatorius, sed impetuofus  
 in nervos spirituum influxus. Inde delirium, spasmus, coma, & cætera malignæ  
 Febris consectaria symptomata emergunt. Venæ - sectio in genere luxuriantem  
 circumcidit sanguinis molem, æstuantem compescit, è suo cursu deslectentem  
 revocat. Febrem non curat, sed curationem parat, & purgans, quod continua  
 somitem radicibus avellit, prosperos ducit ad exitus. Derivans seu parti affectæ  
 proprioris, aut cum eâ magis consentientis venæ sectio, si morantem in parte non  
 educit sanguinem, aut rapido novi torrentis affluxu non abducit, ipsam prægra-  
 vat, & vel ingruentem accersit inflammationem, vel factam adauget. Revul-  
 fiva non motos tantum sanguinis fluctus componit, sed mutata determinatione,  
 ipsius in infarcta vasa incursum retundit. Utissima enim est fluxionum medicatio,  
 sanguinis influxum in laborantem partem tardari, refluxum citari, hæc certa sunt  
 revulsiva beneficia. In malignâ Febre caput vehementer impedit sanguis: se-  
 gnius, nec eâ, quâ cerebrum subivit copiâ, præ obicibus in commeatu objectis,  
 venis reforbetur; allata saphena - sectione prout ægri vires ferunt, & morbi  
 symptomata exigunt, repetitâ, inferiori vasorum circulo inanitate, celerius &  
 uberiorius, juxta inconcussam motus legem, versus tuæ venæ partem sanguis prola-  
 bitur, lentiùs, parcius in contrariam insilit: sanguinis mole levata cerebri vasa  
 resilunt, morantem subigunt, infarctum terunt, eliquatiorem efficiunt & in  
 venas trufum circuitui reddunt: compressæ se effterunt glandulæ; facilius secreti,  
 evoluiiores, & in universum corpus insisi spiritus operta recludunt incernicula,  
 partium instaurant tonum. Sed à saphena sectione in inferiora decubitum, Hip-  
 pocratis partium confidentiæ in malum detortæ sensum, morborum seminum in  
 penitioribus abdominis viscerum recessibus collectorum, & ociosi serius proger-  
 minantium metus non deterreat. Hæc sunt incondita systematum auctoris verba,  
 imperitæ tantum plebis terricula, non rectæ medendi methodo submixi judiciorum  
 argumenta. Frustra saphena sectione exundantem tenuare sanguinem, & nimirum  
 in caput elatum revellere allaborabis, ni citè Febris somitem purgante  
 subducas. Humorum enim igniculis rarescens & expansus sanguis majus, quam lu-  
 xurians, in vasis spatium occupat, vehementius in ipsorum parietes impingit, &  
 cerebrum vividius impedit, novos infarctus & inflammations illaturus. Ut tem-  
 pefitum sanguinem educendi tempus exacerbatio, quod tunc orgasmo percitus  
 sanguifera nimis distendat & irritet vasa, lymphatica irrumperet aut rumpere  
 minetur, oppressas ægri vires erigit, & huic ferendæ vacuationi pares reddat:  
 sic mollissimum purgandi remissio, quod tunc defervente sanguinis æstu, fluxilius  
 corpus, laxiores, quibus liber humoribus patet exitus, semitæ, placidior humo-  
 ris motio, major in viis purganti obviis collectio. At ea est in malignâ Febr.

7

altius imminet febris materiae tenacitas, & partium inertia, ut cathartici irritam vim reddant. Catharticum igitur humores perturbat, movet, non promovet, nec infarctos valet meatus referare. Præstantius contraria & efficacius in hoc morbo remedium mochlicum, si prægressa in primis in primo morbi impetu vomendi proclivitas. Purgantis enim & stimuli vices gerit. Ideo licet nec mole spectabilis, nec qualitate insignis sit vomitu rejectaneus humor, tantum ægro levamen afferit. Dum enim suis aculeis nerveas ventriculi fibras vellicat & concutit, non tantum internæ tunicae rugis tenacius inhærentes humores amolitur, sanguini penitus immixtos liquando tenuat, & per varia incernicula, saepe cutis spiracula, extrudit; sed & partium; elaterem spirituum *rāxos* languentem erigit; fractum præsertim cerebri vasorum tonum instigat, syftolen adauget: indè stagnantes, morantes quassantur, teruntur, & protruduntur succi: restaurato sanguinis & lymphæ circuitu, impedita extricantur glandulæ, compressa spirituum orbitæ & tractus explicantur. Sed à purgatione in morbi primordio non avertat cruditatis metus, aut vanæ spes coccionis, quæ forsan futura non est. Dum enim viget natura, initior Febris, leniora symptomata, non turgente tantum materia, sed urgente morbo, humor Febris palidum, avellendum. Est ubi per medios ignes maturanda purgatio. Concocta enim medicanda esse, non cruda, neque in principiis, male intellectum, fallax est præceptum. Non enim coctus nocet humor, sed crudus. Coctum intellige fluidorem redditum, secretum, à sanguinis fluento sponte in vias vacuationi convenientes delabente, cuius denique acumen & impetum natura fregit: crudum contraria salibus asperum, cum sanguine confusum, in vasis ferocientem, ægre fecernendum, & citò, ne in nobilem partem cæco impetu desiliat, aut altius se instigat, exigendum. Nullus Febre maligna, in principiis, crudior morbus, nullus in quo cruda magis Febrilis materia. Sæpe non turget, sed urget morbus. Coctionem igitur non expectet otiosus & male feriatus Medicus. Crudum licet, nunquam fatigente natura subigendum humor in ipsissimum morbi incububilis adoriat. Tantæ molis opus citius, tertiùs, certius, depletis sufficienter saphenæ sectione vasis, & retorto sanguinis in cerebrum impetu, confidere mochlicum ratio comprobat, observationum genitor, & ferax usus evincit.

*Ergo malignæ Febri saphenæ sectio, Emeticum.*

Domini Doctores Disputaturi.

<i>M. Joannes Besse, Dotaria Hispaniarum Regiae à Confiliis, &amp;c Medicus Primarius.</i>	<i>M. Joannes-Baptista-Thomasi Martinenq.</i>	<i>M. Salvator Cluscard.</i>
<i>M. Antonius de Jussieu, Regie Scientiarum Académie Socius, &amp; Botanices in Horto Regio Parisiensi Professor.</i>	<i>M. Franciscus Pouffe.</i>	<i>M. Claudius du Cerp.</i>
<i>M. Joannes-Baptista Silva, Serenissimi Ducis Borbonii Medicus Ordinarius.</i>	<i>M. Thomas-Bern. Bertrand.</i>	<i>M. Claudius Vergne, Scholæ Professor.</i>

Proponebat, Parisiis, JOANNES-BAPTISTA DUBOIS  
Sanlaudæus - Constantiensis, Baccalaureus Medicus,  
A. R. S. H. M. DCC. XXVI.

---

*Typis PHILIPPI-NICOLAI LOTTIN, Facultatis Medicinæ Typographi. 1726.*